

til (MATTH. XXI, 12; MARC. XI, 15), doctrinam debemus accipere.

1588 *Alligant autem onera gravia et impositabilia, et imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere.* Hoc generaliter adversus omnes magistros, qui gravia iubent, et minora non faciunt. Notandum autem quod et humeri, et digitus, et onera, et vincula, quibus alligantur onera, spiritualiter intelligenda sunt.

1659 *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Quicumque igitur ita facit quodlibet, ut videatur ab hominibus, Scriba et Phariseus est.

1650 *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in coenis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.* Vae nobis miseris, ad quos Phariseorum vitia transferunt. Dominus cum dedisset mandata Legis per Moysen, ad extremum intulit: *Ligabis ea in manu tua, et erunt immota ante oculos tuos* (DEUT. VI, 8). Et est sensus: Praecepta mea sint in manu tua, ut opere compleantur: sint ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis. Hoc Pharisei male interpretantes, scribebant in membranulis Decalogum Moysi, id est decem verba legis, complicantes ea, et ligantes in fronte, et quasi coronam capitis facientes, ut semper ante oculos moverentur: quod usque hodie Indi, Persae, et Babylonii faciunt: et qui hoc habuerit, quasi religiosus in populis iudicatur. Iussrat quoque aliud Moyses (NUM. XV, 38, 40), ut in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent, ad Israelis populum dignoscendum, ut quomodo in corporibus circumcisio signum Iudaicae gentis daret, ita et vestis haberet aliquam differentiam. Superstitiosi magistri captantes auram popularem, atque ex mulier-

culis sectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, et acutissimas in eis spinas ligabant, ut videlicet ambulantes et sedentes interdum pungerentur, et quasi hac admonitione retraherentur ad officia Domini, et ministeria servitutis eius. Quia ergo dixerat Dominus: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*, quod generaliter accusarat, nunc per partes dividit. Pictatiola illa Decalogi, phylacteria vocabant: quod quicumque habuisset ea, quasi ob custodiam et monumentum sui haberet: non intelligentibus Phariseis, quod haec in corde portanda sint, non in corpore: alioquin et armaria, et arcae habent libros, et notitiam Dei non habent. Hoc apud nos superstitiosae mulierculae, in parvulis Evangelii, et in crucis ligno, et istiusmodi rebus (quae habent quidem zelum Dei¹, sed non iuxta scientiam) (ROM. X, 2) usque hodie facitant, culicem liquantes, et camelum glutientes (Infr. cod.). Istiusmodi erat fimbria parva et brevis ex lege praecepta, quam et mulier illa quae sanguine flebat, tetigit in pallio Domini (MATTH. IX, 20; LUC. VIII, 44): sed non est compuncta superstitiosis sentibus Phariseorum: magisque sanata ad tactum eius. Cumque superflue dilatent phylacteria, et magnas faciant fimbrias, gloriam captantes ab hominibus, arguuntur in reliquis, cur quaerant primos recubitus in coenis, et primas cathedras in synagogis: et in publico gulam sectentur et gloriam: et videntur ab hominibus Rabbi, quod Latino sermone magister dicitur. Denique sequitur:

1691 *Vos autem nolite vocari Rabbi: Unus est enim magister vester: omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester qui in caelis est. Nec vocemini ma-*

¹ Unde non dannaat usum, sed abusum.

gistri: quia magister vester unus est, Christus. Qui maior est vestrum erit minister vester. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur, et qui se humiliaverit, exaltabitur. Nec magister, nec pater vocandus est alius, nisi Deus Pater et Dominus noster Iesus Christus. Pater, quia ex ipso sunt omnia (I COR. VIII, 6). Magister, quia per ipsum omnia (COLOSS. I, 16): vel quoniam per dispensationem carnis eius, omnes reconciliati sumus Deo (ROM. V, 8). Quaeritur quare adversum hoc praeceptum, doctorem gentium Apostolus se esse dixerit (I TIM. II, 7); aut quomodo vulgato sermone, maxime in Palaestina et Aegypti monasteriis se invicem Patres vocent? Quod sic solvitur. Aliud esse naturam patrem vel magistrum, aliud indulgentiam. Nos si hominem patrem invocamus, honorem aetati deferimus, non auctorem nostrae ostendimus vitae. Magister quoque dicitur ex consortio veri magistri. Et ne infinita replicem, quomodo unus per naturam Deus et unus Filius, non praedicit ceteris ne per adoptionem dii vocentur, et filii: ita et unus et pater et magister, non praedicit aliis, ut abusive appellentur patres et magistri.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSI, VOL. I, SERM. 51).

1692 **Q**UINTUS VERO Christi inflammans amor in cruce fuit attractionis in admirabili siti sensus; propterea subditur: *Sciens autem Iesus quoniam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Fere omnia in Christo erant completa tormenta, et mysteria passionis: hoc tamen restabat, praedicente Scriptura, quod proxime moriturus sitiens potaretur aceto: *Sitio* propterea inquit. Triplici enim siti sitebat propter amorem nostrum amorus Iesus. Prima fuit corporalis, secunda spiritualis, tertia vero mortalis.

1693 Prima enim sitis extitit corporalis. Ad litteram enim Christus sitivit, tamquam sanguine, et humore corporis exhausto. Est nihilominus advertendum quod ex Matthaeco, et Marco ad litteram bis legitur Christum fuisse potatum, semel non pen-

dentem antequam confingeretur in cruce, et iterum circa horam nonam, quum secundum Ioannem, *Sitio* proclamavit. In prima enim datum est ei vinum mirrham cum felle mixtum: et, quum gustasset, noluit bibere. In secunda vero exprimitur acetum tantum: nam, secundum Ioannem, quum Christus dixisset *Sitio*, subditur: *Vas ergo positum erat aceto plenum.* Et statim Matth. addit: *Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere.* Et statim Ioannes subdit: *Quum ergo accepisset Iesus acetum dixit: Consummatum est;* ut ex istis duabus potationibus verificaretur quod de hoc Propheta (PSAL. LXVIII) ait: *Et dederunt in escam meam fel, scilicet, ante suam crucifixionem; et in siti mea, id est, quando sitio proclamavi, potaverunt me aceto.*

1604 Quod autem vas aceto plenum paratum erat magis ex malitia ad passionis augmentum, quam fortuito casu, factum esse credendum est. Ipsa quoque spongia arundini superposita mystice manifestat quales erant qui in eius passionem convenerant. Cavernosa est enim spongia, et ex omni se quum immititur imbibit illa liquore, ut intus et extra appositis illa liquoribus madaefat: sic enim erat damnata conditio Iudaeorum, ut intus, et extra contra Christum amaritudinis pleni essent et cavernosi ad suscipiendum invisibilem regulum, et adversus Christum malignitatis omne commentum. In arundine vero qua non solum oblatum est Christo amarus potus, verumetiam percussam eius caput, quum vacua sit, et ab ariditate sic dicta, Iudaeorum et torquentium Christum omnium bonorum vacuitas et a virtute ariditas demonstratur. Acetum vero, quod fuit natura vinum, sed alteratione in amaritudinem est conversum, naturam ostendit Iudaeorum, et crucifigentium Iesum, qui, quum essent natura boni a Deo creati, ex horrendis affectionibus, odiis et invidiis, atque ex corruptis moribus contra Christum in amaritudinem crudelissimam sunt conversi.

1605 Quantum putas verbum Filii quaerentis potum praedicit praecordia virginiae mentis, quae, in tanta anxietate videns Filium suum mori et lugubri voce potum expetere, reperit se non habere vel modicum simplicis aquae unde posset eius mitigare ardorem? Devote enim pensate quod, conversa ad populum, diceret eis: O fratres, et filii mei dilecti, compatimini Filio meo dilecto; amore Dei, obsecro, facite mihi hanc consolationem, date aliquantum potum Filio meo antequam moriatur, et parco vobis de omni iniuria mihi illata.

1606 Secunda autem sitis spiritualis fuit. Per primam autem sitim iam dictam introvehimur in altiora secreta, et admiramus mysterium charitatis Christi,

dum verbum corpori competens tam mirae animae spiritualiter commendavit, exprimens per corporis vocem vehemens in anima sua desiderium salutis nostrae. Triplex enim desiderium, quasi tres materias sitis, erga nos habebat amorosus Iesus.

1697 Primum nostrae redemptionis, secundum nostrae reformationis, tertium nostrae glorificationis. Primum, inquam, desiderium, erga nos habuit Christus, scilicet, nostrae redemptionis. Nec tamen ex accidenti, quia Deus homo erat, ei affluit haec sitis; sed quod erat aeternum atque secretum in Trinitate beata humanatus Filius demonstravit in carne, tempore, videlicet, passionis, quando nostrae redemptionis mysteria celebrata sunt. Nec decebat tale desiderium alio in tempore aperiri, nisi eo tempore quo redemptionis nostrae pretium per mortem et sanguinem solvebatur; quamquam figuris et aenigmatibus saepe in veteri Testamento sit ostensus, Prophetisque multipliciter sit revelatum.

1698 Secundum vero desiderium habuit Christus, scilicet, nostrae reformationis; videlicet, ut deformatae imagines animarum reformarentur ad imaginem Dei ad quam tempore creationis formatae extiterant. Proprium quidem est et boni et bonae institutionis magistri non quiescere nisi restauret, si deperit aliquid ex eventu; et sollicitorum nunciorum est ferventer commissis insistere, quoasque inuncta perficiant. Acceperat in mandatis a Patre Filius aeternus, in tempore nunciis et magister ut revocaret errata, restauraret deperdita, et ex imis atque depressis replerentur supernae nationes.

1699 Tertium quoque desiderium habuit Christus, scilicet, nostrae glorificationis; sicut enim quod desiderose bibitur delitiose recipitur, et subito traicitur ad inima cordis; sic et Christus in ardore amorosae sitis omnes electos suos delitiose bibit, et sibi incorporat; et ad sui corporis intima vocans, ad arcana gloriae delectabiliter introducit: unde de seipso Io. xii cap. praedixerat, dicens: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Id est, omnes electos ex omni parte orbis, et ex omni genere hominum traham ad gloriam sempiternam; quia *ibi ego sum illic minister meus erit.*

1700 Dicit autem *omnia* maxime propter tria: primo ut innuat quod reprobi quasi pro nihilo repantur, et quasi pro tanto sunt extra omnia entia: secundo, ut in electorum universitate doceat esse quamdam

integram totalitatem universi, per quam *omnia* dici potest: tertio, ut, secundum commune loquendi morem quo quando triumphantes omnia quae sunt in regno iam capto, prout volumus iam summus, dicimus nos omnia trahere ad nos. Ad miranda est igitur ista sitis Domini nostri.

Et mirum equidem est quod fons sitis, immo quod omnium aquarum redundantia sitis; et qui omnium sitim venerat tollere patitur quod ab aliis venerat auferre. Invitaverat ipse mulierem de Samaria ut ab eo expeteret aquae scyphum, ne in aeternum sitiret, et nunc patitur sitim. Quid est hoc? nisi quia caput nostrum pro nobis ad Patrem *sitio* alte proclamat. Pro nobis omnibus loquitur, se sitire contestans, velut caput pro membris, et desiderium quod genus humanum habere debet gloriae sempiternae Christus expressit pendens in cruce. Proinde, sitim exprimens, sitim a nobis poscit, ut sic nos sitiamus ad eum, quem admodum Psal. xxi praedocuit, dicens: *Sititiam mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Domini.*

1703 Tertia vero sitis Christi in cruce fuit mortalis quia in cruce morti ardentissime affectabat. O amor omnia vincens! quomodo superasti in bono Iesu omnem mentis et corporis cruciatum? Nam licet Divinitas ad solum tricenarium annorum numerum vel circa, terminaverit mentis lesu immensurabiles esse dolores, atque Corporis cruciatum (in cruce) ad solum trium horarum restrinxit spatium; non tamen fuit charitas Christi horum arctatione contenta, nisi in quantum fuit divinae voluntati conformis: sed simpliciter et totaliter et libere, quantum ex se fuit, si divinae voluntati placuisset ab eo tantum pondus exigere, se obtulit pro toto aeterno; unde dilatavit vitam suam per desiderium ad quoddam infinitum vivere, et ad sustinendum infinitas mortes, perfecte se offerendo ad omnes rationes; de quibus infra dicemus in principali tertia parte huius sermonis. Et si voluntas reputatur pro facto in quocumque peccatore gratia informato, quando, scilicet, facultas abest, pro quanto et quasi infinitissimo sacrificio reputata et accepta fuit a Patre talis amorosa voluntas in ipso homine Deo? Verae igitur reconciliationis sacrificium et nostrae redemptionis prelium infinitum plus beatissimae Trinitati placabile fuit, quam totius mundi culpae ei potuerit displicere.

1704 Expersicere ergo, o anima mea, morte Christi redempta, et regratiari charitati cordis lesu, non solum pro trium horarum cruciati, sicut actum fuit in patibulo crucis, sed pro toto amoroso affectu suae mentis quo factus est Sacerdos et Pontifex in aeternum secundum ordinem Melchisedech; neque initium, neque finem habens, id est, non

habens terminum in suae longitudine et latitudine charitatis.

1704 Sextus inflammans amor Christi pendens in cruce fuit mirae consummationis: nam finis praeepti est charitas, et potissime charitas crucis; unde Ioann. xv Dominus ait: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* propterea subditur: *Quam accessisset Iesus actum, dixit: Consummatum est.* Triplex enim est consummatio amorosus, quapropter nos consummatur et perficitur omnis perfectio nostrae salutis. Prima est consummatio corporalis, secunda est consummatio spiritualis, tertia est consummatio legalis.

1705 Prima est consummatio corporalis, quae, scilicet, facta est in incarnatione Dei Filii. Nam consummata sunt omnia quae praedixerunt, aut praenunciaverunt Prophetae Christum venturum ad nos, nasciturum pro nobis, conversaturum nobiscum, et praeturum, docturum, dicturum, passurumque tanta pro nobis. Consummatae sunt enim in eius corpore tempore passionis omnes angustiae, omnes illusiones, omnes peregrinationes, omnes lassitudines, omnes fames, omnes sitis, omnes vigiliae, omnes poenae, omnes lacrymae, omnia flagella, omnia sputa, omnia suspiria, omnia desideria.

1706 Et si considerantur omnia Christi membra, omnia consummationem sui corporis manifestant: nam passus est in pedibus non solum confixione clavorum, sed etiam multa fatigatione itineris in suae vitae discursu, praedicando cum multo labore: in tibis supportando corpus in laboribus suis, in genibus procedendo ac genuflectendo, in cruribus corpus sustinendo, in omnibus iuncturis saepe multo labore lassatus, utpote tener et delicatus tam duris laboribus subditus, vigilando, et orando, praedicando, clamando, super dura stramenta iacendo, immo saepe in terra pernoctando, in deserto quadraginta diebus, et quadraginta noctibus [nec] lectum, nec domum habitavit quietem: et saepe cum discipulis pauperibus et despectis fuit in multis locis vilitate et austere receptus; immo aliquando relictus: unde Luc. ix cap. ait: *quod Samaritanae non receperunt eum, quia facies eius erat emittis in Ierusalem.* Sed generationis membra quae in nobis sunt pudoris in circumcissione dure fuerunt vulnerata. Membra autem intestina deserventia nutrimento afflicta fuerunt, saepe indurata fame. Membra vero vitalia ac respirantia, sicut cor et pectoris concavum, et similia, extiterunt afflicta in multorum suspiriorum et gemituum assumptione pro salute nostra. Scapulae et costae corporis, lateraque, dorsum, et universaliter omnia membra dure in flagellatione fuerunt afflicta, in qua superficie suae delicatae carnis, ac tenerae fuit do-

lorose dilacerata et sanguine rubricata. Brachia fuerunt dure ac strictae ligata, et quantum credo, hinc inde ante et post contumeliose retorta, tam in horto, quam in domo Cayphae, Annae, Pilati, atque Herodis; a quibus omnibus locis ligatus processit. Humeri fuerunt afflicti dura crucis portatione; et tunc credo collum fuisse afflictum chamo in eo apposito per quem ad maiorem contumeliam traheretur. Aures fuerunt repletae opprobriis et clamoribus. Nares fuerunt afflictae foetore horribili sputorum abominabilium Iudaeorum; sed et facies sputis abominabilibus deturpata fuit.

1707 Nec inconveniens est etiam cogitare quod sputa illa immunda impluerint supra sacra labia eius. Genae et facies eius tota afflictae et tumefactae fuerunt tam alapis, quam percussioibus duris. Oculi fuerunt velatione confusi, sicut multiplici cavati ac multipliciter afflicti, dum illas diabolicas facies hostium suorum aspiciat spirantes in eum iracundiae ignem. Vertex capitis dure fuit afflictus spinis et percussioibus. Demum, quam quolibet membrum Christi accepit passionis supplicium, lingua quoque non fuit immunis in amaro gustu abominabilis potus, tam felle ante crucifixionem, quam nunc in potu aceti, ut sic in amaritudine omnia eius consummata sint membra; unde merito clamet: *Consummatum est.*

1708 Consummata est igitur Christi vita secundum beneplacitum sui Patris: impletum est paternum imperium; perfectum est denique finale obsequium. *Consummavit* igitur, ut Gen. ii cap., primus recitat Phropheta: *Creator omnium Deus opera sua sexta die, et septima quiescit ab omni opere quod paravit;* sic et Christus in cruce sexta die opera sua recreationis perfecit, et requievit sabbatum in sepulchro. Perfecti Nos arcam in centum annis, quam in uno cubito consummavit, ut in ea salvaretur humanum genus, ibi dumtaxat octo animabus humani generis reservatis. Consummavit Christus in cruce salutem totius humani generis, si merito iustitiae fuisset accepta in praecedentibus cunctis; similiter et suscepta in sequentibus singulis. Quam salutem in cruce, velut Noc in arca, totum omnium nostrum pro salute in unitate fidei consummavit, et consummationi consummatio opposita est in cruce.

1709 Secunda est consummatio spiritualis: duo nempe spiritualia in cruce consummata sunt: primo nequitia; nam in omni peccandi genere hominum malitia fit peior, et nihil est mali quod praeterierit delinquendo; ut, praeter omnia illa sensualia et spiritualia mala quae innumeris modis augentur, etiam usque ad Dei negationem, et colendo idola et simulachra coelestis militiae, atque syderaeae exhibuit cultum qui soli Deo debitus est. Sed post

omnia haec, ut Psal. vii, praedixerat Propheta: *Consumitur nequitia peccatorum*; nunc haec nequitia consummata est, quoniam nulla maior nequitia, quam Dei Filium interficere, et zelum legis inflectere super eum. Sed quod crediderunt penitus nequiverunt. Nam etsi mortuus est semel ex carne, vivit tamen in aeternum ex Dei virtute: consummata est tamen nequitia peccatorum: non enim humana, seu malorum nequitia posset prolabi in peiora.

1710

Secundo consummata est iustitia; quae quidem ex Dei bonitate ibi consummata est ubi nequitia consummationem accepit. Nam, Christo patiente atque moriente, sicut consummata est nequitia, non per terminum peccatorum, sed per excessum malorum operum; ita per Christum consummata est iustitia in opere redemptionis humanae per passionem mortis atque poenarum. Nam sicut peccatum, quum consummatum fuerit, generat mortem, ut dicitur Iac. i cap.: *Sic mors Christi, quum consummata fuit, destruxit peccatum ipsum, aeternam generans vitam*; et eodem tempore atque mysterio sit per excessum in nequitia per homines, et iustitia per Dei Filium consummata. Ipse enim semetipsum fecit nostram iustitiam, quum iniuste ad mortem condemnatus est.

1711

Tertia vero est consummatio legalis; nam in Christi passione et morte consummatae sunt omnes Scripturae, omnes figurae, omnes prophetae; insuper consummata sunt omnia praecepta, omnia promissa, omnia sacrificia. Consummatum est etiam testamentum novum.

1712

Sed ut haec consummatio de Christo de qua nunc loquimur magis mentibus fidelium inclarescat, altius intendamus, ad Prophetias recurrentes veteres, ad quas, quum scriberet Apost. ix cap. ad Hebr. quamquam per modicum aliter in prophetia, aliter in Apostolo littera sonare videatur, sensus tamen potius quam littera capiendus est. Inquit recitans xxxi cap. Ier.: *Eccc, dies venit, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Iuda testamentum novum. Novum quidem testamentum a veteri multa distinctione atque differentia discretum est; scilicet, datione, tempore, loco, causa, effectu, sacrificiis, caeremoniis, sacramentis, observationibus, traditionibus, promissionibus, ordine, dignitate, intelligentia, virtute, mysterio, executione, et fine. Quod praeceptum Christi Incarnatione peractum, Christi nativitate, vita, doctrina, promissione, testimoniis, miraculis, sacramentis, et passione poenarum et mortis consummatum est; nam, ut ipse idem in ix cap. subdit: *Ubi enim testamentum est, necesse est mors intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis consummatur est; alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est.**

Quomobrem Christus moriens clamat quod Testamentum novum consummatum, seu confirmatum est, scilicet, sua morte intercedente. Nam in veteri lege dispositio et firmatio testamenti erat in sanguine, et indulgentia, et remissione peccatorum, sicut Scriptura Levit. manifestat, et Apost. assertit ix cap. ad Hebr.: *Sic et novi testamenti confirmatio a Christo facta est in Sanguine sancto suo, melius clamante pro nobis, quam sanguis Abel, aut Iphlorum, aut Ihericum, aut quorumcumque animalium veteris Testamenti.* Proinde, quoniam non in pluribus oblationibus placitum erat Deo, nec expliabantur peccata in veritate, ut purgatio digna esset ad regnum; una oblatione sui ipsius ipse Christus omnia consummavit, ut ibidem x, Apostolus testatur, dicens: *Una enim oblatione consummavit in aeternum sanctificatos.*

1714

Consuetudo quidem Regum et Procerum mundi est impressionem signi, sive sigilli in fine appositi, facere fidem scriptis in quibus suis obsecutoribus atque commilitonibus dona, seu praemia largiuntur, et ex appositione illa consummata fertur merita, seu grata largitio: ita et Christus testamentum novum vitae agendum haereditatisque supernae, crucis passione signavit, et firmavit in illo contenta appositione signi asperimae crucis, in qua voluntarie ab apparitoribus mortis se permisit fingi.

1715

Has igitur tres consummationes ipse David spiritu prophético longe ante se vidisse testatur, Psal. cxviii, dicens: *Omnis consummationis vita finem.* O quam longa sententia brevis verbi! in quo quidquid est a Deo decretum, quidquid est Patribus repositum, quidquid in Scripturae decursu scriptum, quidquid est utile et superabundans ad salutis nostrae pretium, quidquid potest cogitari ad exprimendum amoris excessum, quidquid potest fieri ad gloriosum obtinendum triumphum in brevi verbo sit mirifice consummatum.

FERIA QUARTA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XX, 17-28.

IN illo tempore: Ascendens Iesus Ierosolyman, assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis: 18. Ecce ascendimus Ierosolyman, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et Scribis, et condemnabitur eum morte,

19. et tradent eum genibus ad illudendum, et flagellandum, et cruciendum, et tertia die resurget.

20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. 21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut se-

1713

deant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram, in regno tuo.

22. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

23. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sed dedit autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.

25. Iesus autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: et qui matres sunt, potestatem exercent in eos.

26. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister:

27. et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

28. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare; et dare animam suam redemptionem pro multis.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

LIB. 5. DE FIDE AD GRATIAN., CAP. 5 ET 6.

1716

QUOMODO, inquit, Filius Dei solus verus Deus potest esse similis Patri, cum ipse dixerit filiis Zebedaei: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo?* (MATTH. XX, 23). Hoc igitur vestrum divinae, ut vultis, inaequalitatis est argumentum; cum in eo magis venerari Domini clementiam, adorare gratiam deberetis: si tamen virtutis atque sapientiae Dei profunda secreta possentis advertere.

1717

Considerate enim quae cum filiis et pro filiis petat. Mater est utique, cui pro filiorum honore sollicitae immoderatio quidem, sed tamen ignoscenda mensura votorum est. Atque mater aetate longaeva, studio religiosa, solatio destituta: quae tunc temporis quando vel iuvanda vel alenda foret validae prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur, et volupati suae mercedem sequentium Christum praetulerat filiorum: qui prima voce vocati a Domino, ut legimus (MATTH. IV, 22), relicti retibus et patre, secuti sunt eum.

1718

Haec igitur studio maternae sedulitatis indulgentior, obsecrabat Salvatorem,

dicens: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alter ad sinistram in regno tuo* (MATTH. XX, 21). Etsi error, pietatis tamen error est; nesciunt enim materna viscera patientiam: etsi voti avara, tamen veniabilis cupiditas, quae non pecuniae est avida, sed gratiae: nec inverecunda petitio, quae non sibi, sed liberis consulebat. Matrem considerate, matrem cogitate.

1719

Sed nihil mirum si vilis vobis videtur circa filios affectus parentum, qui etiam omnipotentis Patris vilem putatis esse circa unigenitum Filium charitatem. Dominus coeli atque terrarum verecundabatur (ut secundum assumptionem carnis et virtutes animae loquar), verecundabatur, inquam, et ut ipsius verbo utar, confundebatur matri pro filiis postulanti etiam suae sedis consortium denegare: vos aeterni Dei Filium proprium interdum pro ministerio stare contentidit, interdum famulatorium, hoc est, non ex maiestatis unitate, sed ex Patris praereceptione vultis eius esse consensum; et negatis hoc Deo vero Dei Filio, quod ille hominibus aperte noluit denegare.

1720

Considerabat enim matris dilectionem, quae filiorum mercede grandaeam solabatur senectam, et desideris licet fessa maternis, charissimorum pignorum tolerabat absentiam.

1721

Considerate etiam feminam, hoc est, sexum fragiliorem, quem Dominus propria nondum confirmaverat passione. Considerate, inquam, Evae illius primae mulieris haeredom transfusa in omnes immoderate cupiditatis successione labentem, quam Dominus adhuc proprio sanguine non redemerat, nondum inolitam affectibus omnium immodici contra fas honoris appetentiam suo cruore diluerat. Haereditario igitur mulier delinquebat errore.

1722

Et quid mirum si mater pro filiorum

suorum, quod est tolerabilius quam pro se; quando etiam apostoli ipsi inter se, sicut legimus (LUC. XXII, 24), de sui praerogatione certabant?

1723 Non debuit igitur medicus omnium destitutum matrem, et aegram adhuc mentem pudoris convicio sauciare; ne postulato sibi superbius denegato, quasi immoderate petitionis damnata moceret.

1724 Denique Dominus qui honorandam sciret esse pietatem, non mulieri, sed filiis eius respondit dicens: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Dicentibus autem illis: *Possimus, ait illis Iesus: Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo* (MATTH. XX, 22, 23).

1725 Quam patiens et clemens Dominus, quam alta sapientia et bona charitas! Volens enim ostendere quia non perfunctoriam rem aliquam discipuli postularent, sed eam quam impetrare non possent, praerogativam eius paternae honorificentiae reservavit: non metuens, ne quid iuri proprio derogaret, qui non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo (PHILIP. II, 6); simul diligens discipulos, quia, sicut habes: *Usque in finem dilexit eos* (IOANN. XIII, 1), noluit his quos diligeret, videri quod peterent denegasse: sanctus et bonus Dominus, qui mallet aliquid dissimulare de iure, quam de charitate deponere: *Charitas enim patiens est, benigna est, non accumulatur, non inflatur, non quaerit quae sua sunt* (I COR. XIII, 4, 5).

1726 Denique ut agnoscatis non infirmitatis, sed indulgentiae esse, quia dixit: *Non est meum dare vobis*, ubi sine matre filii Zebedaei rogant, nihil de Patre dixit; sic enim habes: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est* (MARC. X, 40). Ita Marcus evangelista posuit.

Ubi vero mater pro filiis rogat, hoc est, secundum Matthaeum: *Non est, inquit, meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo* (MATTH. XX, 23), hic addidit: *A Patre meo*; quia maiorem indulgentiam maternus posebat affectus.

1727 Quod si putant, dicendo: *Quibus paratum est a Patre meo*, quia, aut Patri plus tribuit, aut sibi aliquid derogavit; dicant utrum et illic putent Patri aliquid derogatum, quia dixit in Evangelio Filius de Patre: *Pater non iudicat quemquam* (IOANN. V, 22).

1728 Quod si sacrilegum putamus credere quia Pater ita iudicium detulit Filio, ut ipse non habeat; habet enim, nec potest amittere quod habet naturaliter divina maiestas: sacrilegum utique aestimare debemus quia non potest Filius dare quicquid aut homines mereri possunt, aut quaevis accipere creatura; praesertim cum ipse dixerit: *Ego ad Patrem vado, et quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam* (IOANN. XIV, 12, 13). Si enim quod Pater dare potest, Filius non potest, mentita est ergo veritas, et non potest facere quicquid in nomine eius Pater fuerit obsecratus. Nec enim ideo dixit: *Quibus paratum est a Patre meo*, ut tantummodo a Patre poscatur: nam omnia quaecumque a Patre fuerint postulata, se donare memoravit. Denique non dixit: *Quodcumque a me petieritis, hoc faciam*; sed: *Quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam*.

1729 Quaero nunc utrum possibile aliquid humana conditioni, aut alicui creaturae an impossibile putent a Zebedaei coniuge et filiis postulatum? Si possibile, quomodo ad sinistram suam vel ad dexteram impertiendae apostolis sedis non habuit potestatem, qui omnia fecit esse, quae non erant? Aut quomodo non poterat iudicare de meritis hominum, cui Pater dedit omne iudicium?

1730 Notum est quemadmodum dedit: nam quomodo quasi indigens accepit Filius, qui omnia creavit ex nihilo? Quorum igitur naturas fecerat, eorum iudicium non habebat? Dedit autem Pater Filio omne iudicium (IOANN. V, 22); *Ut omnes, inquit, honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (Ibid. 23). Non igitur potentia Filii, sed cognitio nostra proficit: neque aliquid ad substantiam eius accedit, sed ad nostram utilitatem, quod a nobis cognoscitur; ut cognoscendo Dei Filium, vitam habeamus aeternam (IOANN. XVII, 3).

1731 Cum autem in cognitione Filii Dei honor illius, noster autem non illius sit profectus, si quis putat quia Dei virtus illo honore cumulatur, necesse est etiam Deum Patrem credat posse cumulari: quia et ipse per cognitionem nostram clarificatur sicut Filius, iuxta quod scriptum est, dicente Filio: *Ego te clarificavi super terram* (Ibid. 4). Ergo si possibile aliquid erat quod petebatur, irpotestate utique Filii fuit.

1732 Sed tamen ostendant, si possibile putant, qui de hominibus aut ceteris creaturis, aut ad dexteram, aut ad sinistram Dei sedeat. Pater enim dicit Filio: *Sede ad dexteram meam* (PSAL. CIX, 1). Itaque si quis ad dexteram Filio sedet, inter ipsum utique et Patrem, ut humano usu loquamur, Filius medius reperitur.

1733 Non ergo possibile homini aliquid petebatur, sed noluit dicere quod homines sedere secum non possint: si quidem divinam suam gloriam celari, priusquam resurgeret, non divulgari cupiebat. Nam et supra cum inter famulos suos Moysen et Eliam apparuisset in gloria, monuerat discipulos, ne cui dicerent, quod viderent (MATTH. XVII, 9).

1734 Itaque si possibile non erat hominibus vel creaturis ceteris hoc mereri, non debet videri Filius minus posse,

quia non dedit apostolis, quod nec Pater hominibus vel creaturis ceteris dedit. Aut dicant cui horum dederit Pater. Non utique angelis, de quibus Scriptura dicit, quia omnes angeli stabant in circuitu sedis (APOC. VII, 11). Denique Gabriel se stare dixit, sicut habes: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Dominum* (LUC. I, 19).

1735 Non ergo angelis, non senioribus qui adorant sedentem; illi enim non super sedem maiestatis sedent: sed, ut dixit Scriptura, in circuitu sedis; sedes enim aliae viginti et quatuor sunt, ut habes in Apocalypsi Ioannis: *Et supra sedem viginti quatuor seniores sedentes* (APOC. IV, 4). In Evangelio quoque ipse Dominus dicit: *Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et ipsi super sedes duodecim, indicantes duodecim tribus Israel* (MATTH. XIX, 28). Non ergo sedis suae dixit apostolis dari posse consortium, sed alias illas sedes esse duodecim; quas tamen non pro corporali consensu, sed pro successu spiritualis gratiae aestimare debemus.

1736 Denique in libro Regnorum dixit Michaeas propheta: *Vidi Dominum Deum Israel sedentem super thronum suum, et omnis militia coeli stabat circa eum ad dexteram eius et ad sinistram* (III REG. XXII, 19). Quomodo igitur stantibus angelis ad dexteram vel ad sinistram Domini Dei, stante omni militia coelesti, sedebunt homines ad dexteram Dei, vel ad sinistram, quibus pro virtutis praemio angelorum similitudo promittitur, sicut Dominus dicit: *Eritis sicut angeli in coelo?* (MATTH. XXII, 50). *Sicut angeli, dicit, non plus quam angeli.*

1737 Si ergo nihil plus dedit Pater quam Filius, nihil utique minus dedit Filius quam Pater: nihil igitur minus Filius potest quam Pater.

1738 Ponite tamen possibile impetratu ho-

minibus quod posceretur, quid est quod ait: *Sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis?* (MATTH. XX, 23). Quid est meum? Supra dixit: *Calicem quidem meum bibetis* (Ibid. 22); infra posuit: *Non est meum dare vobis: et supra meum, et infra meum dixit, nec immutavit. Ergo superiora docent propter quid dixerit meum.*

1739 Rogatus enim a muliere quasi homo, ut ad dexteram vel ad sinistram suam filios eius sedere pateretur; quia illa quasi hominem rogaverat, et Dominus quasi tantummodo homo de sua passione respondit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* (Ibid. 22).

1740 Itaque quia secundum carnem de passione sui corporis loquebatur, demonstrare voluit quod secundum carnem quidem subeunda passionis nobis exemplum ac similitudinem derelinqueret, secundum humanam autem conditionem non sedis supernae consortia donaret. Hoc est enim quod dixit: *Non est meum;* sicut alibi: *Mea doctrina non est mea* (IOANN. VII, 16); non est enim, inquit, secundum carnem meam: quia quae divina sunt, non sunt carnis eloquia.

1741 Indulgentiam autem suam circa discipulos quos diligeret, quam expresse revelavit, praemittens: *Calicem quidem meum bibetis.* Etenim quia non debebat id dare quod petierant, aliud proposuit; ut prius commemoraret quid iis tribueret, quam quid negaret: quo magis aequitate sibi petitionis, quam studium Dominicæ liberalitatis intelligerent defuisse.

1742 *Calicem quidem,* inquit, *meum bibetis,* hoc est, passionem quidem quae carnis meae est, non negabo; quod enim humanae assumptionis habeo, potestis imitari: donavi vobis victoriam passionis, haereditatem crucis: *Sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum*

dare vobis. Non dixit: Non est meum dare, sed: *Non est meum dare vobis,* hoc est, non sibi potestatem deesse asserens, sed meritum creaturis.

1743 Accipe aliter: *Non est meum dare vobis.* Quod est: *Non est meum,* qui veni humilitatem docere: *Non est meum,* qui veni non ministrari, sed ministrare: *Non est meum,* qui iustitiam servo, non gratiam.

1744 Denique ad Patrem referens, addidit: *Quibus paratum est;* ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est (ACT. X, 34). Unde et Apostolus ait: *Quos praescivit, et praedestinavit* (ROM. VIII, 29); non enim ante praedestinavit, quam praesciret: sed quorum merita praescivit, eorum praemia praedestinavit.

1745 Iure igitur reprehenditur mulier, quae et impossibilia et speciali quodam privilegio ab eo Domino postulavit, qui ea quae sanctis iudicavit esse donanda, non duobus apostolis, sed omnibus discipulis, etiam sine cuiusquam precatione, voluntaria sui largitate contulerit, sicut scriptum est: *Duodecim vos sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel* (MATTH. XIX, 28).

1746 Ergo etiamsi possibile putemus postulatam fuisse, calumniae locus non est; tamen cum legerim Seraphim stare (Is. VI, 2), quomodo possum quod homines ad dexteram vel ad sinistram Filio Dei sedent, arbitrari? Supra Cherubim Dominus sedet, sicut habes: *Qui sedes super Cherubim, appare* (PSAL. LXXIX, 2); quomodo apostoli super Cherubim sedebunt?

1747 Et hoc tamen colligo non ex meo ingenio, sed ex Dominicæ vocis oraculo; ipse enim Dominus in posterioribus apostolos commendans Patri, ait: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et*

illi sint mecum (IOANN. XVII, 24). Utique si iudicasset quia divinam sedem Pater hominibus daret, dixisset: Volo ut ubi ego sedeo, et illi sedent mecum; sed *volo,* inquit, *ut sint mecum, et ubi ego,* non quomodo ego.

1748 Deinde sequitur: *Ut videant claritatem meam* (Ibid.). Nec hic dixit: Ut habeant claritatem meam, sed *ut videant;* servus enim videt, Dominus possidet, sicut et David docuit dicens: *Ut videam voluptionem Domini* (PSAL. XXVI, 4). Et ipse Dominus in Evangelio revelavit asserens: *Beati mundi corde, ipsi enim Deum videbunt* (MATTH. V, 8). *Videbunt,* inquit, non super Cherubim cum Deo sedebunt.

1749 Desinat ergo viliora secundum divinitatem aestimare de Dei Filio, ne viliora quoque de Patre aestiment. Qui enim male crederit de Filio, non potest bene sentire de Patre: qui male crederit de Spiritu, non potest bene sentire de Filio. Ubi enim una dignitas, una gloria, una charitas, una maiestas est: in commune derogatur, quidquid in aliquo putaveris derogandum: iam enim non erit plenitudo quam discernas et divides in aliquas portiones.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENESI, VOL. I, SERM. 51).

1750 SEPTIMUS autem inflammans amor Christi pendens in cruce fuit mirae reductionis, scilicet, omnium, in Deum; quia per crucem Christi amore fuit levatum signum in nationes et populos ad congregandum profugos Israel. Nam *Christus mortuus est, ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum,* sicut Ioann. XI cap. ait. Et quia hic est omnium ultimus finis, scilicet, ut sit Christus omnia in omnibus, propterea Iesus clamans voce magna, dixit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum;* in quibus sacratissimis verbis ostendit Evangelista tria quae in Christo moriente considerare debemus, quibus omnes electos per amorem reduxit in Deum. Primo consideremus vigorem: secundo amorem: tertio dolorem.

1751 Primo consideremus Christi vigorem; qui quidem patet per clamorem quem moriens in cruce

emissit; in quo pervalide potentiam virtutis suae ostendit in statu in quo ceteri morientes vix possunt emittere medicum flatum; unde, quasi triumphali tuba certaminis victoriam manifestans, ostendit quod dolens vincebat, patiens superabat, derelictus debellabat, et moriens triumphabat contra aereas potestates. Ecce quod infirmitas Dei virtutem atque firmitatem diaboli usquequaque subvertit. Propterea Apost. I Cor. I, ausus est dicere: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Sed ego audacter addam quod infirmum est Dei, fortius est daemonibus. Nam et daemones infernales ad vigorem tanti clamoris non solum terri, sed etiam totaliter sunt devicti atque prostrati.

1752 Secundo consideremus Christi amorem quem nobis Christus moriendo monstravit; ait enim: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum;* in hoc enim omnium electorum suorum spiritum casualiter et exemplariter ac sacramentaliter commendavit, et reddidit Deo Patri. In anima enim Christi unita per omnia Delitanti certa notitia scriptae erant omnes animae suo Sanguine redimendae, quas ut animam suam ad aeternam gloriam dirigebat. Pro quibus in lacrymis et clamore valido exaudivit est pro reverentia sua. Has validum, Patri animam suam recommendans, in ipsa omnes Patri suo altissimo recommendabat, atque omnes salvandas animas velut unam animam fecit, de qua Patri dixit: *Commendo spiritum meum;* facit enim verissima charitas quod est alterius esse suum.

1753 Proinde supereminens charitas Christi omnem salvandam animam suam animam faciebat. Reor quidem pia fide hoc caput pro corpore exorasse. Caput vero et corpus personam faciunt unam, cuius est anima una: hoc igitur sensu Christus orat velut corporis Ecclesiae cum ipso capite Christo esset anima una, ut amoris eius vehementia unionis, charitatis, et fidei sacramento mystice dicat Christus Patri de spiritibus omnibus sibi adherentibus in veritate quasi de spiritu uno: *Commendo spiritum meum;* quia, secundum Apostolum I Cor. VI: *Qui adheret Deo unus spiritus est cum eo;* velut apotheca quaedam rationalis et viva omnes praedestinatos scriptos habens Anima Christi fuit commendata Patri, ut non pro continente fuerit oratio facta, quia iam salvus erat, (comprehensor enim fuerat a conceptionis instanti) sed pro contentis emittatur, ut passionis suae et mortis meritum obtineret; ut, quos Anima Christi praeteritos, praesentes atque futuros dilexerat, salvarentur; quasi fuerit Christus hamus piscationis aeternae, et tanquam sagena latissimae charitatis in mari praesentis saeculi a divinitate iactata, quae nunc ad littus Paterni pectoris re-

ducitur cum omni multitudine electorum, unaque secum omnes intra paterna viscera collocavit, cum exiaret in mater. Ineffabili perfundebarur amore Anima Christi, eo quod iussa paterna compleverat factus obediens usque ad mortem, quia liberaverat una morte sua innumeras animas mortuos in peccatis¹ de illa tartarea potestate sub qua tenebantur invitae, ceterisque clauderetur aditus, ne iterum introirent, si ex fide venirent in meritum passionis.

1754 Tertio quoque consideremus Christi Domini nostri dolorem, quia *inclinato capite, emisit spiritum*. Inclinauit caput, magnum mysterium innuens praeteritis et futuris. Erecta enim cervice commissum est unde mulctatus est; atque superba mente agitur unde contemptus est. Proinde moritur versa vice, capite inclinato, quia vultum defixit ad ima, sicut valefaciens impio mundo. Caput quoque inclinauit in morte in expiationem erectionis ad vetita simulque suavitatem obedientiam, reverentiam docuit, humilitatem in operibus usquequaque monstravit, quum, omni peracto mysterio, inclinato capite expravit.

1755 O anima mea, praetioso Christi Sanguine desponsata, respice in faciem Christi tui, et vide speciosissimum forma prae filiis hominum non habentem speciem, neque decorem; quia vultus ille desiderabilis Angelis suae speciositatis robore, et virginali decore totus decoloratus, caligantibus oculis, in morte palliescit. O quis digne stupere queat illam tenebrosam eclipsim luminum oculo- rum gratiosissimorum benedicti Iesu? O organum Divinitatis, et psalterium veri David, et vox dulcissima Dei Patris, quis tibi interpositus silentium durissimae mortis, ut iam auribus corporis non liceat amplius audire concentum tuae dulcissimae melodiae? O pectus sacratissimum dulcis Iesu, paternae sapientiae contentivum armarium gratiarum, quod insufflas in faciem creaturae spiraculum vitae, quis te privavit respiracione vitali? O sacratissimae manus, quae vestro salvifico tactu sanabatis infirmos, nec dedignabimini pie leproso contingere, quis vos tam crudeliter crucifixit? O pedes recti sanctorum gressuum, qui vestrae charitatis incesu virtutum omnium posteris vestigia reliquistis, quis vestrum tam crudeliter turbavit incessum? Quis ergo mundum privavit exemplo, et vos affixit crudeli patibulo? O Caro amantissimum juvenis, a Spiritu sancto de castissimis visceribus Virginis Matris artificiose concepta, quomodo divulsa et dilacerata, livida et sanguine cruentata, affixa nunc manes in patibulo crucis?

1756 Vac tibi, impia synagoga, quae, omni fera

¹ Intellige de viatoribus qui a morte peccatorum, a morte aeterna meritis Christi, liberati sunt, et in Veteri et in Novo Testamento.

crudelior, vitam devorasti boni Iesu! qui tibi pater et sponsus et amantissimus filius a paterna charitate de regalibus sedibus missus est. Plange et tu dolorosa Ierusalem, quae olim civitas sancta, nunc vero civitas homicidii, immo patricidii, quin potius Decididii horrendo vocabulo nuncuparis. Assume lamentum super tuam crudelitatem, exne te vestimentis iucunditatis tuae, induere cinere et cilicio. Non cessent oculi tui effluere fontes lacrymarum, quia in te Salvator tuus occisus est. Et tu, Domine sancte Pater, de sanctuario tuo, et de excelso coelorum habitaculo respice hanc sacrosanctam Hostiam quam tibi offert Pontifex noster pro peccatis nostris et esto placabilis super nequitia populi tui. Considera et tu, homo redempte, quis, qualis et quantus est hic qui pro te mortuus est; et vere omnium lapidum duritiam superabis si ad tanti rememorationem piculi nec terrore concuteris, nec compassione afficeris, nec compunctione scinderis, nec pietate moliris.

Secundo contemplerur mundi horrorem: 1757 Haurit quidem tota machina mundialis tam immane scelus ab impiis perpetratum contra omnium conditorem, atque modis mysticis atque apertis lamentum sumpsit super scelere perpetrato. In signum igitur huius lamentationis *velum templi scissum est in duas partes a sinuino usque dorsum, et terra mola est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt*. Iam enim, sole obscurato manente, statim Christo mortuo signa plurima subsecuta sunt, ut perfidi homines signorum attestatione credere cogereantur qui Christo ex sua praedicatione credere noluerant. Propterea non immerito totus hic insensibilis mundus sic colore suo privatus est, ut Creatori suo compati videatur, et in eius morte lugubre et funerum assumere vestimentum; et, sicut Hieron. ait, omnis creatura compatiatur Christo morienti: sol obscuratur, terra movetur, petrae scinduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur, solus miser homo non compatiatur pro quo solo Christus patitur.

Equidem primum post Christi mortem Evangelistae signum asserunt templaris veli per medium scissionem, ut clarior elucescat quod, iam revelatis mysteriis, umbrisque fugatis, omnium Patrum aenigmata, et oracula Prophetarum revelantur, quum morte Christus consummatus est.

1758 Terrae motus etiam non immerito factus est, quum terrae Factor moreretur in terra. Tremuit terra, moriente Christo, ut sentiretur in universo terrarum orbe iniustitia mortis eius. Tremuit, ferre non valens quod plebs Iudaica sustinebat. Tremuit, velut pavens ad tam insolitas et impii passionis, ut omnium fidelium mentes credias et contremiscent, quoniam pro iniustis iustitia, pro

impis pius, pro peccatoribus sanctus, pro hominibus in carne passus est Deus.

1760 Scisso vero saxorum sive petrarum, rerum insensibilium acclamatio fuit quia auctor vitae condemnatur iniuste; quinque homines in tali iniustitia pro veritate tacebant, petrae per scissuras, quasi per aperta labia, clamabant, et suo modo provocabant dura corda hominum ut scinderentur, et recogitarent eum qui talem pro peccatoribus sustinuit passionem.

1761 Monumenta siquidem mortuorum aperta sunt longe a remotis, de proximo defunctorum, et apparebant iam illa cadavera resoluta consumpta in pulpis, discompaginata in ossibus, et forte plura scotentia veribus. Et patebant oculis intuentium, omni remoto desuper lapide sepulchris illis dumtaxat, quorum cadavera erant integre atque in anima cum Domino surrectura. Sicque steterunt ab illa mortis hora qua tremefaciens terrae motus intonuit usque in horam qua Dominus, ab inferis rediens, reassumpto Corpore, in Corpore resurrexit, qui quidem cum Domino surrexerunt. Non enim intelligendum est cum Christo mortuo illico surrexisse, et post resurrectionem intrasse Ierusalem, ut apparerent multis; quia tunc Christus non esset *primogenitus mortuorum, et primitiae dormientium*: sed continuo Christo mortuo, factus est terrae motus, saxa sunt scissa, et aperta sunt monumenta, et post resurrectionem eius usquequaque vulgata, civitatem intraverunt, et multis apparuerunt.

1762 Quomodo autem putas materna viscera de novo conquassata fuisse compassionis affectu ad Filium morientem, quando sic vidit pro immanitate flagitii super ipsum flere luminaria coeli, terram sentiebat tremere sub pedibus suis, saxa durissima contra naturam perscindi, ac mortuorum tumulos aperiri? Ex quo non immerito concludere poterat quod bene decebat illum cordialiter flere quem elementa insensibilia deplorant. In hac igitur secunda contemplatione multorum horrores tria etiam considerari oportet. Primo multorum admirationem, secundo multorum obdurationem, tertio multorum ablutioem. Primi admirati sunt secundum naturam, secundi obdurati sunt secundum culpam, tertii abluti sunt secundum gratiam.

1763 Primo quidem consideremus multorum admirationem; et de hoc Matth. subiungit, dicens: *Centurio, et qui cum eo erant custodientes, viso terrae motu, et his quae fiebant, immerunt valde, dicentes: Vere filius Dei erat iste*. Alius Evangelista ait: *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo iustus erat*. Argumentabatur enim ex multis Centurio ut diceret Dei Filium quem ut hominem

cruci custodiebat affixum; nam solem contra naturam viderat obscuratum: audivit Christum, quod quidem natura negat homini continuo morienti, quum emisit spiritum, alia voce clamasse: senserat insolito motu petremisse terram; amplius in stuporem adduxerat patientia morientis, et firmas memoriae in his quae loquebatur, quum in indulgentiam postulavit pro his qui eum torquebant, et latroni paradusum promisit, et Matrem non morte perterritus discipulo commendavit: propterea aliquid fidei expressit, sed in maiori parte defecit, quum sub praeterito tempore ait: *Vere Filius Dei erat iste*: quasi credidisset Dei filiationem solutam esse per mortem; perfectum quid expressisset, si dixisset vere Filius Dei est iste. Si autem addatur verbum alterius Evangelistae dicentis: *Vere hic homo iustus erat*. Similiter et asseclae Centurionis tremefacti et admirantes dixerunt et meruerunt participes fieri orationis Christi orantis pro crucifixoribus suis.

1764 *Et omnis turba Iudaorum, et qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quae fiebant, percussantes pectora sua recedebantur*. A saeculo et usque in saeculum non fuit tale spectaculum, quod tantus taliter moreretur; spectaculum magnum in quod desuper Pater, de terris Mater, Angeli, daemones, mortui, vivi, Patriarchae, Prophetae, amici et acmuli varia intentione spectabant. Percutiebant sua pectora tremefacti Iudaei, verentes maiora pericula, non tamen Christo fide uniti, ut postulantes indulgentiam, pericula evitarent. Non enim erat illa percussio emendatio, sed solatio scelerum commissorum. Revertebantur siquidem ad suum domicilium, non ad Deum.

1765 Devota vero familia Christi, quamquam fragilis sexu, non recedebat. Crucifixo assistebat, excepta Virgine, fide carens, et animo timore ac dolore afflicta. Dividebatur in situ, ut aliqua pars de prope quae adhaerebat ardentius, aliqua de longe prospiciens adstaret. Propterea subditur: *Stabant autem noni eius a longe. Erant enim ibi mulieres multae quae saecula erant Iesum a Galilaea ministrantes ei; inter quas erat Maria Magdalena, et Maria Jacobi minoris, et Ioseph mater, et Salome mater filiorum Zebedaei, et aliae multae quae cum eo ascenderant Ierosolymam*. Mulieres erant sequentes magistrum, cui tanquam pauperi et nihil habenti vitae necessaria ministrabant, egerere voluit de propriis facultatibus ministrabant, necnon et Virginem Matrem venerabant, quum videbant super omnes foeminas virtutum omnium claritate pollentem. Hoc siquidem sequendi Filium alius mulieribus praestabat audaciam. Ecce proceres et magnates Dominum mundi tanquam turpiter mortuum lamentantes; ecce principes con-

venientes ad funus; ecce assistentes Reges tanto Domino moriantur.

1766 Secundo consideremus multorum obdurationem. Multi nempe ex visis iam admirandis signis nec sunt corde compuncti, nec admiratione commoti; sed magis in sua pertinacia obdurati, ad obvian- dum humanis periculis insistebant. Unde notandum quod, Christo iam mortuo, supervivebant latrones, aut non talibus exactis poenis, aut quia sic saepe, ut Christus, affixi non fuerant; magis autem existi- mandum quod Christus voluntarie, non coactus, moriens, morte omnes in mysterium voluit praevenire.

1767 *Judaei ergo*, sicut Ioannes ait, *quoniam Pasceve erat, ut non remaneret in cruce corpora sabbato; erat enim magnus dies sabbati, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur coram cruce et tollerentur*. O pessima superstitio Iudaeorum! qui opinabantur contaminari die sabbati, si sisterent in patibulo corpora damnatorum; sed contaminationem suae mentis minime videbant qui Christum ad mortem dirae crucis iniustissime condemnave- rant. Obiciebant autem Praesidi reverentiam sab- bati; sed hoc multoties agebant, ne propter signa facta, moriente Christo, sabbati quiete tumultus in populo nasceretur, et ex viso in cruce corpore turba facile mobilis moveretur, atque praeevaban- tibus ad Corpus illud fieri reverentiam propter terrentia signa. Timebant etiam, quia iubebantur vultus hominum et mulierum signorum novitate mutatos: verebantur quoque ne, Christo pendente in Cruce, signa profluerent ampliora.

1768 Quam iam Pilatus petita concessisset; ante- quam eorum petitio executioni crudeli militum mysterio mandaretur, Ioseph ab Arimathaea ac- cessit personaliter ad Pilatum, et petit corpus Iesu. Miratus autem Pilatus quod iam mortuus esset, nec petenti et referenti commodans dignam fidem, verum esse didicit ab accersito Centurione. Exinde Pilatus Ioseph concessit corpus Iesu, ut ipse illud tolleret, et qua vellet reverentia sepe- leret. Venerunt ergo milites a Iudaeis petiti, a Praeside vero missi, et latronum crura fregerunt. Quod quam pia Mater vidisset, timens etiam ne confringerent Filii eius crura, confestim surgens, ante milites humiliter genuflexit, piis supplicatio- nibus ipsos rogans ne frangerentur Filii sui crura, quom manifeste iam exanimis appareret.

1769 Tertio consideremus multorum ablationem quae de latere Christi mortui facta est; nam despiciens Longinus piissimas preces Matris, aperuit latus Christi; et de hoc Ioann. subdit: *Ad Iesum autem qui venissent, et viderunt eum iam mortuum, non frangerunt eius crura; sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exiit sanguis et aqua*. O amor qui omnia liquas! quomodo pro

redemptione nostra reliquisti Dilectorem nostrum? Nam, ut undique inundaret amoris diluvium, super nos ruptae sunt abyssus magnae; scilicet, penetra- lia cordis Iesu, quibus, ad intima progrediens, dira lancea non peperit. Tanto namque dolore novi- ter percussa est Virgo Mater moestissima, quam vidit latus Filii sui dira lancea aperiri, quod quasi mortua cecidit inter brachia diligentium eam.

1770 Crurifragio iam peracto, illico mortui sunt la- trones, et, iuxta Iudaeorum petitionem, de patibulo eorum corpora sunt ablata, atque incuriosae humata secundum abiectionem pro criminibus morientium. Fuisset absque dubio ablatum Corpus Iesu, et vi- liter abiectum, nisi Pilatus fuisset Ioseph petitione praeventus. Quod autem Christo crura fracta non sunt divina providentia factum est; cuius figura praecessit in agno de quo Exod. XII, praedictum est: *Os non comminuetis ex eo*. Non quod figura sic fieri coegerit; sed quia sic futurum erat in fi- gura praecessit in presagium mystici corporis Sal- vatoris, cuius ossa, id est, perfecti atque constan- tes vici nullis tribulationibus vel adversitatibus in animo, seu in moribus confringuntur; sed ad omnia parati, usque ad mortem semper insuperabiles permanserunt; quia, quamquam corpore victi, ta- men in anima et moribus nunquam fracti.

1771 Apertio autem lateris facta lancea militis remo- rat praeteritum, quod, dum factum fuit, et fini- xit hoc, insinuavit et futurum, devenit in praesens, et factum est praeteritum, et velut in fieri expec- tabatur futurum. De latere siquidem Adam for- mata est Eva. Et de hoc in apertione lateris Christi commemoratur praeteritum, significans hoc quod erat futurum. Et futurum, quando tunc asse- ruit praesens factum; quoniam ex Sanguine atque aqua redempta est, formata est, et lavata Ecclesia, quia sanguis exiit et aqua. Sanguis in redemptio- nem, sed etiam in ablationem aqua defluxit; unde formata est Ecclesia ex latere Christi, ut aeternae unicam atque dilectam a Christo se discat, et ut re- cognoscat quam displicuit culpa pro qua Sanguis divinus ex homine Deo vivo et mortuo ita defluxit. Non enim parva quantitate constitimus, si pro nobis Sanguis divinus effunditur. Aqua enim ad litteram non cum sanguine indistincta defluxit. Neque enim potuisset ab insipientibus comprehendi, si mixta cum Sanguine defluxisset.

1772 Et forte totus sanguis defluxit ex illo divino Corpore in signum totius amoris effusi, post quem humor aqueus egressus est. Quod quidem est alto mysterio factum, ut prius egredereetur ex eodem Corpore redimens pretium, deinde aqua in qua multitudo populorum redempta significatur. Sunt enim aquae multae, populi multi; tamen qui ad Christianam fidem pertinent unus fidelis populus

sunt, ut non sint aquae, sed aqua quae manavit ex latere Christi, sicut I Corinth. x, Apostolus ait: *Unus panis, et unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, et de uno calice participamus*. Et iterum ad Eph. IV cap. inquit: *Unus Deus, una fides, unum baptisma*.

1773 Notanter tamen advertendum est quod latus Christi apertum dicitur, non vulneratum; quoniam proprie vulnus praeterquam in vivo corpore fieri nequit. Non enim vulneratio, prout rerum experi- entia sonat, et mos usitatus alloquitur, super in- sensibilia cadit; percussio nem, scissionem, seu aper- tionem, et his similia ipsa sunt apta recipere. Ait enim Evangelista Ioannes: *Unus militum lancea la- tus eius aperuit*; ut, aperto latere, cognoscamus dilectionem cordis sui usque ad mortem, et ad il- lum ineffabilem amorem eius ingrediamur quo ille ad nos processit.

1774 Accedamus ergo ad Cor eius, Cor altum, Cor secretum, Cor omnia cogitans, Cor omnia sciens, Cor diligens, immo amore ardens; et apertam portam intelligamus saltem in amoris vehementia, cordifor- mes ingrediamur ad secretum ab aeterno absconditum, nunc vero in morte quasi aperto latere revelatum; quoniam apertio lateris aeterni templi apertionem demonstrat, ubi omnium existentium consummata est felicitas aeterna.

FERIA QUINTA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
Luc. XVI, 19-31.

18 In illo tempore: Dixit Iesus pharisaeis: Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso,

20 et epulabatur quotidie splendide.

21 Et erat quidam mendicis nomine Lazarus, qui iacebat ad ianua eius, ulceribus plenus,

22 et cupiens saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat: sed et canes vene- rant, et lingebant ulcera eius.

23 Factum est autem ut moreretur mendicis, et portaretur ab Angelis in sinum Abraham. Mor- tuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.

24 Elevans autem oculos suos, cum esset in tor- mentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in si- nu eius.

25 Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, mi- serere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extre- mum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

26 Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter ma- la: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

27 Et in his omnibus, inter nos et vos chaos mag- num firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transire.

28 Et ait: Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei.

29 Habeo enim quinque fratres, ut lesetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

29. Et ait illi Abraham: Habent Moyses et pro- phetae; audiant illos.

30. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent.

31. Ait autem illi: Si Moyses et prophetae non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Homilia S. Gregorii PPAE.

HOMILIA XL. IN EVANGELIA. *Habita ad populum in basilica sancti Laurentii martyria, dominica secunda post Pentecosten.*

18 IN verbis sacri eloquii, fratres charissimi, prius servanda est veritas historiae, et postmodum requirenda spiritalis intelligentia allego- riae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter capitur, cum prius per histo- riam in veritatis radice solidatur. Sed quia nonnumquam allegoria fidem ac- cificat, et historia moralitatem: nos qui auctore Deo iam fidelibus loquimur, non abs re credimus, si ipsam loquendi ordi- nem postponamus: quatenus qui fidem iam firmam tenetis, prius de allegoria al- liquid breviter audire debeatis: et quod vobis de moralitate historiae valde est necessarium, hoc in expositionis nostrae ordine servetur extremum: quia ea ple- rumque solent melius recoli, quae con- tingit postmodum audiri.

1866 Sensus ergo allegoricus sub brevitate transeurrimus, ut ad moralitatis latitu- dinem citius venire valeamus. *Homo qui- dam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide*. Quem, fratres charissimi, quem dives iste, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, nisi iudaicum populum significat: qui cultum vitae exterioris habuit, qui acceptae legis delicias ad nitorem usus est, non ad utilitatem? Quem vero Lazarus ul- ceribus plenus, nisi gentilem populum figuraliter exprimit? Qui dum conversus ad Deum peccata sua confiteri non erubuit, huic vulnus in cute fuit. In cutis quippe vulnere virus a visceribus

trahitur, et foras erumpit. Quid est ergo peccatorum confessio, nisi quaedam vulnere ruptio? Quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestifere latebat in mente. Vulnere etenim cutis in superficiem trahunt humorem putredinis. Et confitendo peccata quid aliud agimus, nisi malum quod in nobis latebat, aperimus? Sed Lazarus vulneratus cupiebat saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat: quia gentilem quemque ad cognitionem legis admittere superbus ille populus despiciebat. Qui dum doctrinam legis non ad charitatem habuit, sed ad elationem, quasi de acceptis opibus tumuit.

1777 Et quia ei verba defluebant de scientia, quasi micae cadebant de mensa. At contra lacentis pauperis vulnera lingebant canes. Nonnumquam solent in sacro eloquio per canes praedicatores intelligi. Canum etenim lingua vulnus dum lingit, curat: quia et doctores sancti dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt: et quia nos loquendo a peccatis eripiunt, quasi tangendo vulnera ad salutem reducunt. Quia enim canum nomine praedicatorum lingua signatur, Domino per Psalmistam dicitur: *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso* (PSAL. LXVII, 24). Ex iudaeis quippe infidelibus sancti praedicatores electi sunt, qui in assertionem veritatis contra fures latronesque venientes, magnos pro Domino, ut ita dicam, latratus dederunt. Quo contra de quorundam reprobatione dicitur: *Canes muti, non valentes latrare* (Is. LVI, 10). Quia ergo praedicatores sancti peccata damnant, confessionem vero peccatorum approbant dicentes: *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini* (IAC. V, 16), ulcera Lazari canes lingunt. Sancti

etenim doctores dum gentilium confessiones accipiunt, mentium vulnera saluti restitunt. Unde et Lazarus bene interpretatur Aditus: quia ipsi hunc ad ereptionem iuvant, quia eius vulnera per linguae correptionem curant. Potest etiam per linctionem canum lata adulantium lingua signari. Adulantibus etenim vulnera nostra lingere est: quod plerumque solent etiam ipsa mala quae nos in nobis reprehendimus, improbo favore laudare. Contigit vero, ut uterque moreretur. Dives qui induebatur purpura et bysso, sepultus est in inferno: in sinum vero Abrahae Lazarus ab angelis ductus est. Quid Abrahae sinus nisi secretam requiem significat patrum? De qua Veritas dicit: *Multi, inquit, venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno colorum: filii autem regni eiciuntur in tenebras exteriores* (MATTH. VIII, 11).

1778 Qui enim purpura et bysso indutus dicitur, recte regni filius vocatur. Qui de longinquo ad videndum Lazarum oculos levat: quia dum per damnationis suae supplicia infideles in imo sunt, fideles quosque ante diem extremi iudicii super se in requiem attendunt, quorum post gaudia contemplari nullatenus possunt. Longe vero est quod conspiciunt, quia illic per meritum non attingunt.

1779 In lingua autem amplius ardere ostenditur, cum dicit: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Infidelis populus verba legis in ore tenuit, quae opere servare contempsit. Ibi ergo amplius ardebit, ubi se ostendit scire quod facere nolit. Quapropter bene de doctis et negligentibus per Salomonem dicitur: *Omnis labor hominis in ore eius, sed anima illius non implebitur* (ECCL. VI, 7): quia quis-

quis hoc solummodo laborat, ut sciat quid loqui debeat, ab ipsa refectione suae scientiae mente vacua ieiunat. Ab extremo digiti se tangi desiderat: quia aeternis suppliciis datus, optat operatione iustorum vel ultima participari. Cui respondetur, quod in hac vita bona receperit: quia omne suum gaudium felicitatem transitoriam putavit. Habere hic etenim possunt et iusti bona, nec tamen haec in recompensatione recipere: quia dum meliora, id est aeterna, appetunt, eorum iudicio quaelibet bona aduerint, cum sanctis desideriis aestuant, bona minime videntur. Unde David propheta, qui regni divitiis multisque obsequiis fulciebatur, quamvis et haec ad necessitatem bona esse conspiceret, uni tamen singulariter bono inhiante aestuabat dicens: *Mihi autem adherere Deo bonum est* (PSAL. LXXII, 28). Inter haec vero notandum est, quod ei dicitur: *Memento, fili*. Ecce enim Abraham filium vocat, quem tamen a tormento non liberat: quoniam huius infidelis populi praecedentes patres fideles, quia multos a sua fide deviasse considerant, eos nulla compassione a tormentis eripiunt, quos tamen per carnem filios recognoscunt.

1780 In tormentis autem dives positus, quinque fratres habere se perhibet: quia superbus idem iudaicus populus, qui ex magna iam parte damnatus est, sequaces suos quos super terram reliquit, quinque sensibus corporis deditos novit. Quinario ergo numero fratres quos reliquerat, exprimit: quia quos ad spiritalem intelligentiam non assurgere in inferno positus gemit, petit ut ad eos Lazarus mittatur. Cui quia Moysen et prophetas habeant, dicitur. Sed ait: *Quia non credent, nisi quis ex mortuis resurrexerit*. Cui protinus respondetur: *Si Moysen et prophetas non audiant, ne-*

que si quis ex mortuis resurrexerit credent ei. Certe de Moysse Veritas dicit: *Si crederetis Moysi, crederetis utique et mihi. De me enim ille scripsit* (IOANN. V, 46). Impletur ergo quod per Abrahae responsum dicitur. Ex mortuis enim Dominus resurrexit, sed iudaicus ille populus, quia Moysi credere noluit: ei etiam, qui resurrexit ex mortuis, credere contempsit. Cumque Moysi verba spiritaliter intelligere contempsit, ad eum, de quo Moyses locutus fuerat, non pervenit.

1781 Haec nos, fratres charissimi, pro indignandis allegoriae mysteriis succincte transeurrisse sufficiat: nunc ad intuentiam latius rei gestae moralitatem animus recurat: *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicis, nomine Lazarus, qui iacebat ante ianuam divitis, ulceribus plenus*. Nonnulli putant praecepta veteris Testamenti districtiora esse, quam novi: sed hinc nimirum improvida consideratione falluntur. In illo enim non tenacia, sed rapina muletatur. Ibi res iniuste sublata restitutione quadrupli punitur. Hic autem dives iste non abstulisse aliena reprehenditur, sed propria non dedisse. Nec dicitur, quia vi quempiam oppressit, sed quia in acceptis rebus se extulit. Hinc ergo summopere colligendum est, quia poena multandus sit qui aliena diripit, si inferni damnatione percussus qui propria non largitur. Nemo ergo securum se aestimet dicens: Ecce aliena non rapio, sed concessis licite rebus fruor: quia dives iste non idcirco punitus est, quoniam aliena abstulit: sed quia acceptis rebus semetipsum male dereliquit. Hoc quoque fuit quod hunc inferno tradidit: quia in sua felicitate timidus non fuit, quia accepta dona ad usum arrogantiae inflexit, quia viscera

pietatis ignoravit, quia peccata sua redimere etiam cum sibi abundaret pretium, noluit. Et sunt nonnulli, qui cultum subilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives qui torquetur apud inferos, bysso et purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta praecipua nisi ad inanem gloriam quaerit, videlicet, ut honorabilior ceteris esse videatur. Nam quia pro sola inani gloria, vestimentum pretiosius quaeritur, res ipsa testatur, quod nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri. Quam culpam possumus melius etiam ex diverso colligere: quia si abiectio vilis indumenti virtus non esset, evangelista vigilanter de Ioanne non diceret: *Erat indutus pilis camelorum* (MATTH. III, 4). Sed notandum nobis est magnopere, in ore Veritatis de superbo divite et humili paupere quantus sit ordo narrationis. Ecce enim dicitur: *Homo quidam erat dives*; et protinus subinfertur: *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus*. Certe in populo plus solent nomina divitum, quam pauperum scri. Quid est ergo quod Dominus de paupere et divite verbum faciens nomen pauperis dicit, et nomen divitis non dicit, nisi quod Deus humiles novit atque approbat, et superbos ignorat? Unde et quibusdam de miraculorum virtute superbientibus in fine diciturus est: *Nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis* (MATTH. VII, 23). At contra Moysi dicitur: *Novi te ex nomine* (EXOD. XXXIII, 12). Ait ergo de divite: *Homo quidam*. Ait de paupere: *Egenus, nomine Lazarus*. Ac si aperte dicat: Pauperem humilem scio, superbum divitem nescio. Illum cognitum per approbationem habeo, hunc per iudicium reprobationis ignoro.

Pensandum nobis est etiam, Conditor 1782
noster quanta omnia consideratione dispensat. Una etenim res non pro una re agitur. Nam ecce plenus ulceribus mendicus Lazarus ante ianuam divitis iacet. Qua de re una Dominus duo iudicia explevit. Habuisset enim fortasse aliquam excusationem dives, si Lazarus pauper et ulcerosus ante eius ianuam non iacuisset, si remotus fuisset, si eius inopia non esset oculis importuna. Rursum si longe esset dives ab oculis ulcerosi pauperis, minorem tolerasset in animo tentationem pauper. Sed dum egenum et ulceratum ante ianuam divitis et deliciis affluentis posuit, in una eademque re et ex visione pauperis non miserenti diviti cumulum damnationis intulit, et rursus ex visione divitis tentatum quotidie pauperem probavit. Quantas namque hunc egenum et ulceribus obsessum tentationes creditis in sua cogitatione tolerasse, cum ipse egeret pane, et non haberet etiam salutem, atque ante se divitem cerneret salutem et delicias habere cum voluptate: se dolore et frigore affici, illum gaudere conspiceret, bysso et purpura vestiri: se deprimi vulneribus, illum diffuere acceptis rebus: se egere, illum nolle largiri? Quantus putamus, fratres mei, tunc in corde pauperis tumultus tentationis fuit, cui certe poterat ad poenam sufficere paupertas, etiamsi sanus fuisset: et rursum suffecisset aegritudo, etiamsi subsidium adesset? Sed ut probaretur amplius pauper, simul hunc et paupertas et aegritudo tabefecit. Atque insuper videbat procedentem divitem obsequentibus cuneis circumfulciri, et se in infirmitate et inopia a nullo visitari. Nam quia nemo ei ad visitandum aderat, testantur canes, qui licenter eius vulnera lingeabant. Ex una ergo re omnipotens Deus duo iudicia exhibuit, dum Laza-

rum pauperem ante ianuam divitis iacere permisit, ut et dives impius damnationis sibi augeter ultionem, et tentatus pauper cresceret ad remunerationem. Conspiciebat ille quotidie cui non miseretur, videbat iste de quo probaretur. Duo inferius corda, sed unus de super inspector, qui et hunc tentando exerebat ad gloriam, et illum tolerando expectabat ad poenam. Nam sequitur:

1783 *Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno*. Qui nimirum dives eum cui in hac vita misereri noluit, in suo iam supplicio positus patrum quaerit. Nam ecce subiungitur: *Qui elevans oculos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. O quanta est subtilitas iudiciorum Dei! O quam districte agitur bonorum actuum malorumque retributio! Certe superius dictum fuit, quia in hac vita Lazarus cadentes miccas de mensa divitis quaerebat, et nemo illi dabat: nunc de supplicio divitis dicitur, quia de extremo digito Lazari distillari aquam in ore suo concupiscit. Hinc ergo, hinc, fratres, colligite quantum sit districtio severitatis Dei. Dives enim iste, qui vulnerato pauperi mensae suae vel minima dare noluit, in inferno positus usque ad minima quaerenda pervenit. Nam guttam aquae petivit, qui miccas panis negavit. Sed notandum valde est quid sit quod dives in igne positus linguam suam refrigerari petiit. Mos quippe est sacri eloquii, ut aliquando aliud dicat, sed ex eodem dicto aliud innuat. Superius autem hunc superbum divitem Dominus non loquaci-

tati vacantem dixerat, sed superflue conviventem. Neque hunc de loquacitate narravit, sed eum clatione et tenacia de edacitate peccasse. Sed quia abundare in conviviis loquacitas solet, is qui male hic convivatus dicitur, apud infernum gravius in lingua ardere perhibetur. Prima namque male convivantibus famulatur culpa loquacitatis, post loquacitatem vero ludendi etiam levitas sequitur. Nam quia edacitatem lusus sequatur, testatur sacra Scriptura, quae ait: *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (EXOD. XXXII, 6). Sed priusquam ad lulum moveatur corpus, ad iocos ac verba inania movetur lingua. Quid ergo est quod innuitur, quia in tormentis positus dives linguam suam refrigerari postulat, nisi quod is qui convivando magis de loquacitate peccaverat, per retributionis iustitiam in lingua atrocius ardebat?

1784 Sed cum gravi valde est pavore pensandum hoc, quod ei per Abrahae re-
sponzionem dicitur: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*. Ista, fratres mei, sententia pavore potius indiget, quam expositione. Nam si qui estis qui in hoc mundo exterioris boni aliqui accepistis, ipsum, ut ita dicam, donum exterius pertimescere debetis: ne vobis pro quorundam vestrorum actuum recompensatione sit datum: ne iudex qui hic bona exteriora restituit, a retributione boni intimi repellat: ne honor hic vel divitiae, non adiumentum virtutis, sed remuneratio sint laboris. Ecce enim dum dicitur: *Recepisti bona in vita tua*, indicatur et dives iste boni aliqui habuisse, ex quo in hac vita bona reciperet. Rursumque dum de Lazaro dicitur, quia recepit mala, profecto monstratur et Lazarus habuisse malum aliquod, quod

purgaretur. Sed mala Lazari purgavit ignis inopiae, et bona divitis remuneravit felicitas transeuntis vitae. Illum paupertas afflixit et tersit, istum abundantia remuneravit et repulit. Quicumque ergo bene in hoc saeculo habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde de ipsis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas eorumdem remuneratio sit bonorum. Et cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspiciatis, nolite despiciere, nolite desperare: quia fortasse quod superfluitas tenuissimae pravitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. De vobis omnimodo pertimescite: quia nonnulla etiam male acta prospera vita secuta est. De illis vero sollicitè pensate, quia eorum vitam etiam magistra paupertas cruciat, quousque ad rectitudinem perducat.

1785 Sequitur: *Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est; ut hi qui volunt hinc ad vos transire, non possint, neque inde huc transire. Quia in re valde quaerendum est, quomodo dicatur: Hi qui volunt hinc ad vos transire, non possunt.* Quia enim hi, qui in inferno sunt, ad beatorum sortem transire cupiant, dubium non est. Qui vero iam in beatitudinis sorte suscepti sunt, quo pacto dicitur quia transire ad eos, qui in inferno cruciantur, volunt? Sed sicut transire reprobi ad electos cupiunt, id est a suppliciorum suorum afflictione migrare: ita ad afflictos atque in tormentis positos transire iustorum est mente ire per misericordiam eosque velle liberare. Sed qui volunt de beatorum sede ad afflictos atque in tormentis positos transire, non possunt: quia iustorum animae quamvis in suae naturae bonitate misericordiam habeant, iam tunc auctoris sui iustitiae coniunctae, tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compas-

sione moveantur. Ipsi quippe iudicii concordant, cui inhaerent, et eis quos eripere non possunt, nec ex misericordia condescendunt: quia tantum illos tunc a se videbunt extraneos, quantum ab eo quem diligunt auctore suo conspiciunt esse repulsos. Nec iniusti ergo ad beatorum sortem transeunt, quia damnatione perpetua constringuntur: nec iusti transire ad reprobos possunt, quia erecti iam per iustitiam iudicii, eis nullo modo ex aliqua compassione miserentur.

Sed postquam ardenti diviti de se spes tollitur, eius animus ad propinquos quos reliquerat, recurrit: quia reproborum mentem poena sua quandoque inutiliter erudit ad charitatem, ut iam tunc etiam suos spiritaliter diligant, qui hie dum peccata diligerent, nec se amabant. Unde nunc subditur: *Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Qua in re notandum est, ardenti diviti quanta ad supplicium cumulantur. Ad poenam namque suam ei et cognitio servatur et memoria. Cognoscit enim Lazarum quem despexit: fratrum quoque suorum meminit, quos reliquit. Perfecta quippe ei ultio de paupere non esset, si hunc in retributione non recognosceret. Et perfecta poena in igne non esset, si non hoc quod ipse patitur, etiam in suis timeret. Ut ergo peccatores in supplicio amplius puniantur, et eorum vident gloriam quos contempserunt, et de illorum etiam poena torquentur, quos inutiliter amaverunt. Credendum vero est, quod ante retributionem extremi iudicii iniusti in requie quosdam iustos conspiciunt, ut eos videntes in gaudio non solum de suo supplicio, sed etiam de illorum bono cruciantur. Iusti vero in tormentis semper

1786

intuentur iniustos, ut hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt quod misericorditer evaserunt: tantoque maiores ereptori suo gratias referunt, quanto vident in aliis quod ipsi perpeti, si essent relictis, potuerunt. Nec illam tantae beatitudinis claritatem apud iustorum animum fuscata spectata poena reproborum; quia ubi iam compassio miseriae non erit, minuere procul dubio beatorum laetitiam non valebit. Quid autem mirum, si dum iusti iniustorum tormenta conspiciunt, hoc eis veniat in obsequium gaudiorum, quando et in pictura niger color subternitur, ut albus vel rubeus clarior videatur? Nam sicut dictum est, tanto bonis sua gaudia excrescunt, quanto eorum oculis damnatorum mala subteriacent, quae evaserunt. Et quamvis eis sua gaudia ad perfiruum plene sufficiant, mala tamen reproborum absque dubio semper aspiciunt: quia qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur quod videre non possint.

1787 Petenti autem diviti ut Lazarus mitatur, ab Abraham protinus respondetur: *Habent Moysen et prophetas; audiant illos.* Sed qui Dei verba despexerat, haec audire non posse suos sequaces existimabat. Unde et respondit dives: *Non, pater mi: sed si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei.* Cui mox veraci sententia dicitur: *Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei,* quia nimirum qui verba legis despiciunt, Redemptoris praecepta, qui ex mortuis resurrexit, quanto subtiliora sunt, tanto haec difficilius implebunt. Minus est enim quidquid per legem dicitur, quam hoc quod per Dominum iubetur. Illa enim dari decimas praecipit; Redemptor vero noster ab his qui perfectionem sequuntur, omnia dimitti iubet. Illa peccata carnis

resecat; Redemptor vero noster illicitas cogitationes etiam damnat. *Si ergo Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent:* quia hi qui viliora legis praecepta implere negligunt, Salvatoris nostri mandatis altioribus obedire quando convalescunt? Et nimirum constat, quia cuius implere dicta renuunt, ei procul dubio credere recusant. Haec nos de ipsa re gestae consideratione dixisse sufficit.

Sed vos, fratres, et requiem Lazari, 1788 et poenam divitis cognoscentes solenter agite, culparumstrarum intercessores quaerite, atque advocatos. vobis in die iudicii pauperes procurate. Multos etenim nunc Lazaros habetis; ante ianuas vestras iacent, atque his indigent, quae vobis iam satiatis quotidie de mensa cadunt. Verba sacrae lectionis debent nos instruere ad implenda mandata pietatis. Quotidie Lazarum, si quaerimus, invenimus: quotidie Lazarum, etsi non quaerimus, cernimus. Ecce importune se pauperes offerunt, rogant nos, qui tunc pro nobis intercessores venient. Certe nos omnino rogare debuimus, sed tamen rogamur. Videte si negare debemus quod petimur, quando patroni sunt qui petunt. Nolite ergo misericordiae tempora perdere, nolite accepta remedia dissimulare. Ante supplicium cogitate de supplicio. Cum quoslibet in hoc mundo abiectos aspiciatis, etiam si qua reprehensibilia eorum esse videantur, nolite despiciere: quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat. Quorum si qua sunt talia quae debeant iure reprehendi; haec, si vultis, ad usum vestrae mercedis inflectite, ut ex ipsis eorum vitis cumulentur vobis incrementa pietatis; quatenus panem pariter detis et verbum; panem refectionis cum verbo corceptionis: et duo a vobis alimenta perci-

pian, qui unum querebant, dum et exterius cibo, et interius satiantur eloquio. Pauper ergo cum reprehensibilis cernitur, moneri debet, despici non debet. Si vero reprehensionis nihil habet, venerari summopere sicut intercessor debet. Sed ecce multos cernimus: quis cuius sit meriti, nescimus. Omnes ergo venerandi sunt, tantoque necesse est ut omnibus te humiliare debeas, quanto quis eorum sit. Christus ignoras.

1789 Rem, fratres, refero, quam bene is qui praesto est, frater et compresbyter meus Speciosus novit. Eodem tempore quo Monasterium petii, anus quaedam, Redempta nomine, in sanctimoniali habitu constituta, in urbe hac iuxta beatae Mariae semper virginis ecclesiam manebat. Haec illius Herundinis discipula fuerat, quae magnis virtutibus pollens super praenestinos montes vitam eremiticam duxisse ferebatur. Huic duae in eodem habitu discipulae adhaerebant: una nomine Romula, et altera, quae nunc adhuc superest, quam quidem facie scio, sed nomine nescio. Tres itaque hae in uno habitaculo commanentes morum quidem divitiis plenam, sed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Haec autem, quam praefatus sum, Romula, aliam quam praedixi condiscipulam suam magnis vitae meritis anteibat. Erat quippe mirae patientiae, summae obedientiae, custos oris sui ad silentium, studiosa valde ad continuae orationis usum. Sed quia plerumque hi, quos iam perfectos homines aestimant, adhuc in oculis summi opificis aliquid imperfectionis habent: sicut saepe imperiti homines necdum perfecte sculpta sigilla conspiciamus et iam quasi perfecta laudamus, quae adhuc artifex considerat et limat, laudari iam audit, et tamen ea tundere meliorando non desinit: haec quam praediximus Romula, ea quam

graeco vocabulo medici paralytin vocant, molestia corporali percussa est, multisque annis in lectulo decubans, pene omnium iacebat membrorum officio destituta: nec tamen haec eadem eius mentem ad impatientiam flagella perdlexerant. Nam ipsa ei detrimenta membrorum facta fuerant incrementa virtutum: quia tanto sollicitius ad usum orationis succreverat, quanto et aliud quodlibet agere nequaquam valebat. Nocte ergo quadam eandem Redemptam quam praefatus sum, quae utrasque discipulas suas filiarum loco nutriebat, vocabit dicens: Mater, veni, mater, veni. Quae mox cum alia eius discipula surrexit, sicut utrisque referentibus et multis res eadem claruit, et ego quoque eodem tempore agnovi. Cumque noctis medio lectulo iacentis assisteret, subito coelitus lux emissa omne illius cellulae spatium implevit: et splendor tantae claritatis emicuit, ut corda assistentium inaeestimabili pavore perstringeret, atque, ut post ipsae referebant, omne in eis corpus obrigesceret, et in subito stupore remaneret. Coepit namque quasi cuiusdam magnae multitudinis ingredientis sonitus audiri, ostium cellulae concuti, ac si ingredientium turba premeretur. Atque, ut dicebant, intrantum multitudinem sentiebant, sed nimirum timoris et luminis videre nil poterant: quia earum oculos et pavor depressoerat, et ipsa tanti luminis claritas reverberabat. Quam lucem protinus miri odoris est fragrantia subsecuta: ita ut earum animum, quia lux emissa terruerat, odoris suavitates refoveret. Sed cum vim claritatis illius ferre non possent, coepit eadem Romula assistentem sibi et trementem Redemptam, suorum morum magistram, blanda voce consolari dicens: Noli timere, mater, non morior modo. Cumque hoc illa crebro diceret,

paulatim lux quae fuerat immissa, subtracta est: sed is qui subsecutus est odor remansit. Sicque dies secundus et tertius transiit, ut aspersi fragrantia odoris remaneret. Nocte ergo quarta eandem magistram suam iterum vocavit. Qua veniente viaticum petiit, et accepit. Necdum vero eadem Redempta et alia eius discipula a lectulo iacentis abscesserant, et ecce subito in platea ante eiusdem cellulae ostium duo chori psallentium constiterunt, et sicut ipsae se dicebant sexus ex vocibus discrete, psalmodiae cantus dicebant viri, et feminae respondebant. Cumque ante fores cellulae exhiberentur coelestes exsequiae, saeha illa anima carne soluta est. Qua ad coelum ducta, quanto chori psallentium altius ascendebant, tanto coepit psalmodia lenius audiri, quo usque et eiusdem psalmodiae sonitus et odoris suavitates elongata finiretur.

1790 Haec ergo quamdiu vixit in corpore, quis illam haberet in honore? Indigna cunctis, despecta omnibus videbatur. Quis ad illam accedere, quis illam videre dignaretur? Sed latebat in sterquilinio margarita Dei. Sterquilinum, fratres, hanc ipsam corruptibilitatem corporis appello, sterquilinum abiectioem paupertatis nomino. Assumpta est ergo margarita, quae iacebat in sterquilinio, et posita in coelestis regis ornamento, iam inter supernos cives emicat, iam inter ignitos illos lapides aeterni diadematis coruscat. O vos qui in hoc mundo divites aut esse creditis, aut estis, conferte, si potestis, falsas divitias vestras veris divitiis Romulae. Vos in huius mundi via omnia amissuri possidetis: illa nihil quaesivit in itinere, et omnia invenit in perventione. Vos laetam vitam ducitis, tristem mortem timetis: illa tristem vitam pertulit, ad laetam mortem pervenit. Vos ad tem-

pus quaeritis obsequium hominum: illa despecta ab hominibus invenit socios choros angelorum. Discite ergo, fratres, temporalia cuncta despiciere: discite honorem transeuntem contemnere, aeternam gloriam amare. Honorate quos pauperes videtis, et quos foris conspicietis despectos saeculi, intus arbitramini amicos Dei. Cum his participamini quod habetis, ut hoc quandoque dignentur vobiscum participari quod habent. Pensate quod ore magistri gentium dicitur: *In hoc tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum* (II COR. VIII, 14). Pensate quod ipsa per se Veritas dicit: *Quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (MATTH. XXV, 45). Ad tribuendum pigri cur estis, quando hoc quod iacenti in terra porrigitis, sedenti in coelo datis? Sed haec omnipotens Deus quae per me in vestris auribus loquitur, per se in vestris mentibus loquatur: qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENSSE, VOL. I, SERM. 51.)

1791 **T**ERTIO contemplerur devotorum dolorem. Ad vesperascente iam hora, stabat moestissima Mater cum illa familiola parva in terra, sedens afflicta et lassas, nesciens si dilectus Filius eius de cruce deponi deberet, aut quorum auxilio id perfici posset. In tribus siquidem fuerunt tunc afflicta corda eorum, qui diligebant Iesum. Primo in praeparatione, secundo in depositione, tertio in sepelitione.

1792 Primo quidem afflicti fuerunt devoti Iesu in praeparatione, scilicet, ad deponendum et sepeliendum eum, inter quos compassiva solertia Ioseph et Nicodemus se diligentissime obtulerunt. Quam igitur esset sero, Ioseph, Pilati licentia iam obtenta, de sepultura Domini disponere satagebat. Hic non consenserat verbo, nec animo consilio Iudaeorum; quamquam non restitisset in